



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 7. Lingua Britannorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

egit triumphum magnificum Claudius. Sub Domitiano, Agricola totam terruit aut vicit. Hadrianus Barbaros primus muro submovit. Sub Antonino Pio per Lollium iterum devicti, & novus excitatus est murus. Severus motibus renovatis multos cecidit, multos ex suis perdidit, & tandem murum excitavit qui adhuc nomen eius servat. Turbati sæpe temporibus Diocletiani, Iuliani, Valentiniani. Sub Gratiano fortiter à Maximo defensi; item & sub Honorio à Stilicone: sed ab eodem Honorio sibi consulere iussi. Aëtius tamen iis opem aliquam attulit. Demum sub Theodosio iunioribus legionibus ad tutelam Galliarum evocatis, Pictorum & Scottorum crudelitati expositi sunt. Quapropter ab indigenis evocati in auxilium Saxones, qui ex hospitibus domini facti sunt, unde ortum est Anglorum Imperium, de quo agemus in recenti divisione.

#### §. 6. Religio Britannorum.

DVAS maximè colebant Deas *Adraffen*, seu *Andraffen* quæ fortè eadem est cum *Adraistiâ* Græcorum, quo nomine dicebatur Nemesis. Alteram *Andaten* quæ victoria est, *Dio*. Coluere & Minervam ut vult *Solinus*.

De eorum ceremoniis quatuor habemus. *Primum* captivo cruore aras adoleuisse. *Secundum* hominum fibris Deos consulere, ita *Tacitus*. *Tertium* religioni duxisse gustare leporem & anserem, hoc tamen extremum negat *Plinius*. *Quartum* habuisse communes cum Gallis Sacerdotes, nempe *Druidas*, per quos in Galliam translata religio, *Cæsar*. Certè ij *Druidæ* in *Mona insulâ* ad *Vespasiani* tempora perdurarunt.

#### §. 7. Lingua Britannorum.

SERMO fuit Britannis, Gallisque communis *Tacitus*. Quod colligitur ex vocibus Britannicæ linguæ quæ adhuc in *Vallia* viget. Apud Gallos Iuppiter Tonans dicitur *Taramis*, Britannicè *Taran* Tonare est. *Caterua* & *Cataya* voces Gallicæ sunt, *Kad* Britannis bellum sonat. *Corinum* vehiculi Belgici genus *Kouain* illis est curru vehere. *Armoricæ* ciuitates, & *Morini* à mari nomen habuere *Ar-Mor*, ad mare significat. Sed clarissimum istud *Aufonij*,

*Deuona Celtaarum linguâ fens addite Diuis.*

At Britannicè *Diuv Deum*, *Vvona* fontem sonat. Huc spectant & maiorum Galliaè Fluminum nomina Garumna Fl. rapidus, Britannicè *Garun* rapidus: Araris lentus, *Arar* lentum significat: Rhodanus incitatissimus, Britannicè *Rhedec* velociter currere est.

CAPVT II.

*De Hibernia.*

IN ea quinque excutienda sunt.

§. I. *Nomina Hibernia.*

PRIMUM est *Hiera* à voce Hibernicâ *Hiere* quæ Occidentem significat: aliæ itaque etymologiæ ridiculæ sunt. Malè ergo Festus Auienus putans vocem esse Græcam appellauit *Sacram*.

SECUNDVM *Iris* apud Diodorum Sic. & verò nunc ab indigenis *Exim* dicitur.

TERTIVM *Ierne* quo Strabo, Claudianus, & alij vtuntur.

QUARTVM *Iuerna* quod apud Solinum, Melam, & Iuuenalem legitur.

QUINTVM *parua Britannia*; sic eam nominauit Ptolemæus in *Almagesto*.

SEXTVM denique *Hibernia*, quo Cæsar, Ptolemæus in suâ *Geographiâ*, & alij passim vti.

§. 2. *Quantitas Hibernia.*

EI duplo minor extensio quàm Britannia à *Cæsare* tribuitur: *Solinus* ait proximare longitudine Britanniaè, *Pomponius* vtramque parem malè crediderunt.

LONGITVDO apud Plinium ex computo Agrippæ VI. c. P. M. tribuitur. Ptolemæo 2560. Stadiorum, seu 320. P. Millium: Martiano Heracleotæ denique 1834. Stadiorum.

LATITVDO Plinio est ccc. M. P. Ptolemæo 2060. Stadiorum, Heracleotæ 1834.